



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XXXVI. De sequentibus Excommunicationibus Bullæ Cœnæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

ſ. Videtur feciſſe interpretativè & moraliter, non verò phyſicè, cùm autem ſumus in pœnalibus non eſt faciendâ extenſio ab actione phyſica ad actionem moralem & interpretativam, præterquam quòd Pontifex, dum in hac Bulla intendit excommunicare Conſulentes & mandantes, expreſſam & individuan illorum mētionem faciat.

Q. Adhuc peto an obtinens facultatem imponendi novam Gabellam ſuper determinata Re, ſi eà utatur ſuper aliâ, ligetur hâc quintâ Excommunicatione?

S. Ligatur, vi: *Bonæ. Filliuc. & alios.*

QUÆSTIO XXXVI.

*De ſequentibus Excommunicationibus
Bullæ Cœnæ.*

Vicar. **R**ecenſe ſequentes quinque Excoꝛnicationes in Bulla Cœnæ contentas.

S. Excoꝛnicantur I. *Falſarij litterarum Apoſtolicarum, vel ſigillorum, aut*
pe-

petitionum sigillatarum sub nomine
 Sanctitatis, vel Vice-Cancellarij Sac. Rom.
 Eccl. vices S. Pontificis gerentis. II. De se-
 rentes, seu transmittentes Hæreticis
 minatum à Papa excommunicatis, vel
 alijs Infidelibus Equos, vel arma, vel in-
 strumentorum materiam, vel instrumenta Bal-
 lica; vel ligamina, vel funes, aut illorum
 materiam, vel hujusmodi aliqua, quibus
 ad pugnandum Catholici utuntur, com-
 prehendendo illos, qui per se vel per alios
 Catholicorum hostes certiores faciunt de
 rebus statum Reipublicæ Christianæ con-
 cernentibus in perniciem & damnum
 Christianorum. III. Impedientes eos, qui
 victualia & alia ad usum Curie Romane
 necessaria adducunt Invadentes eos,
 qui talia advehunt; prohibentes ne dicta
 advehantur, perturbantes ne adducan-
 tur; denique defendentes per se & per alios
 prædicta facientes. IV. Interficietes, mu-
 tilantes, spoliantes, rapientes, detinen-
 tes illos, qui ad Curiam Romanam ve-
 niunt, vel ab illa discedunt. V. Interfici-

entes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, Capientes, depradantes Romipetas, seu Peregrinos accedentes ad Urbem de-
cationis causâ, morantes in Urbe, recedentes ab Urbe, item Auxilium consilium vel favorem dantes prefatis delinquentibus.

P. Suppono quòd falsificantes litteras & supplicationes Legati à Latere primam inter has quinque; Excommunicationem non incurrant.

S. Non: sicut nec falsificantes litteras Nuntiorum Apostolicorum, imò nec Sac. Congregat., nec Sacræ Pœnitentiariæ, tantò minùs nec Episcoporum in propria Diœcesi, quia nullus istorum expedit litteras nomine Pontificis immediatè sicut faciunt Vice-Cancellarij &c. sed expediunt immediatè nomine proprio, & mediatè nomine Pontificis, quapropter nec eorum litteræ dicuntur Apostolicæ. Vi: Navarr. c. 27. n. 62. Suar. Disp 21. de Cens. Sect. 2. Reginald. l. 9. c. 17. n. 289. Bonac. q. 7. p. 1. & alios: Dd F: Quo-

V. Quomodo autem, & quando dicuntur falsificatae litterae Apostolicae, vel Supplicationes?

S. Tunc, quando quispiam, vel immediate falsas format litteras, vel addendo, aut detrahendo aut radendo &c. mutat sensum intentum à Papa vel Vice-Cancellario, item signando litteras falso sigillò, vel etiam verò, sed sine consensu illius ad quem spectat sigilli impressio.

V. Colligo quòd non quaelibet mutatio facta in litteris Apostolicis comprehendatur in hoc Canone, sed ea solum quae mutat intentionem dantis litteras.

S. Ità est.

V. Ergo corrigentes errores Grammaticales si qui forent in Bulla, vel litteris Apostolicis, modò non mutetur sensus intentus, non sunt dicendi falsificantes, neq; huic Censurae subiecti.

S. Minimè.

V. Quid autem sentis de variante in

litteris Apostolicis quid modicum mu-
tatis sensum, in nullius tamen præju-
diciū ?

S. Non videtur hoc posse transire, aut
fieri hujusmodi variationem absque
magna injuria Papæ, ac proinde (quid-
quid dicant aliqui) sentio tales præ-
fite Censuræ subjacere.

V. Supponamus quod aliquis corrige-
ret errorem factum à Scriptore Bullæ
contra intentionem Papæ v. g. si in
supplicatione petita fuisset dispensa-
tio affinitatis in tertio gradu, & scrip-
tor posuisset dispensationem in tertio
consanguinitatis, vel si ex in adver-
tentia in supplicatione loco *ly pro Pau-
lo* posuisset Scriptor *ly pro Petro*, peto
an corrigens hanc Excommunicatio-
nem incurreret ?

S. Cur incurreret ? siquidem litteras
Apostolicas non falsificaret, imò fal-
sificationem à Scriptore positam tolleret, &
veritatem poneret ? quàmvis sciam
(*juxta monitum Canonistar*) id non de-

Dd 2

be-

bere fieri privatâ Auctoritate; attamen si difficilis esset recursus ad Officiales Curia deputatos ad correctionem Brevium, posset permitti.

V. Sit casus, quod Scriptor incipiat formare falsas litteras Apostolicas, deinceps pœnitentiâ ductus desistat ab opere incepto, similiter abradat aliud quod verbum in litteris Apostolicis, inchoetq; ponere aliud sensum immutans, non tamen perficiat, quæritur hâc sextâ Excommunicatione ligetur?

S. Quamdiu actio pœnæ subjecta completa non fuerit, pœnâ non est digna, cum pœnæ sint restringendæ ergo nisi litteræ compleantur, vel verbum immutans sensum completè apponatur, non dicetur falsificatio in litteris secuta, & consequenter nec pœna falsificationis incurretur. An autem hanc Excommunicationem incurrant impetrantes litteras Apostolicas sub mentito nomine, *scil.* sub nomine a-

Ueno? Vi: Sayr. l. 3. c. 9. Suar. Navar. & alios.

V. Conformiter ad alibi dicta, quia in hac Excommunicatione Bullæ Cœnæ non exprimuntur consulentes aut mandantes falsificationem litterarum Apostolicarum, vel falsificantium fautores, affirmabis utique illos hanc Excommunicatione non ligari.

S. Non ligantur quidem hanc Excommunicatione, sed benè aliâ, estò non reservatâ, expressâ in cap. Ad falsariorum de crim. fal. in quo etiam capite excommunicantur utentes litteris falsificatis, quòd si Clerici fuerint, privandi sunt Beneficijs & Officijs Ecclesiasticis. Vi: Panormit. in dict. cap. Ad falsariorum. Sayr. Bonac. & alios.

V. Putasne aliquid speciale observandum esse ab ijs, qui retinent litteras Apostolicas falsificatas?

S. Observo, quòd quando Excommunicatio fertur ab Ordinario, ut retinentes falsas litteras Apostolicas infrâ

viginti dies sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ extradant vel lacerent, si elapso termino non extradiderint vel laceraverint, excommunicationem Papæ reservatam incurrant, ita in cap. Dura, de crim. fal.

U. Repetimus toties litteras Apostolicas, expone quænam dicendæ sunt Apostolicæ?

S. Illæ, quas dat Papa ut Papa, & que regulariter vel ad gratiam, vel iustitiam, vel deniq; ad aliquod publicum & commune negotium pertinent; hinc patet, quod litteræ quas dat Papa Persona privata non sint dicendæ Apostolicæ, nec falsificans ejusmodi litteras, ligatur hæc Sexta Excommunicatione. An autem falsificans litteras Apostolicas datas à Papa antequam consecretur in hanc Censuram includat? affirmant communiter Canonici, quia Papa jam electus Canonicè est verus Papa habens jurisdictionem plenam, adeoq; litteras Apostolicas verè dare potest.

U. Qua

U. Quaro an septimā Excommunicatione afficiantur Alchimiſtæ, transmittentes Infidelibus Secreta inordinate ad conficienda metalla, deſervientia illis contrā Chriſtianos tempore Belli?

S. Afficiuntur; ſimiliter transmittentes pecunias, victualia & Veſtes, tempore quo bellant, vel proximè diſponuntur ad bellandum contrā Chriſtianos.

U. Putasne quòd Princeps Chriſtianus non prohibens paſſum infidelibus tranſeuntibus ad inferenda damna Chriſtianiſ excommunicatur in hoc ſeptimo Canone?

S. Lego quòd ſi Princeps non prohibens, prohibere non teneatur, & reſpectu petentium tranſire merè negativè ſe habeat, nullum poſitivè præſtando favorem & auxilium, licèt peccet contrā charitatem, hanc nihilominus Excommunicationem non incurrat pro quo, vi *Bonac. Dif. 1. q. 8. pun. 2. num. 2.* U. Absq;

U. Absq; dubio mandans transuehi aut deferri supra specificata ad Infideli latam Censuram incurrit.

S. Ita est, quia dispositio hic contra deferentes, includit etiam mandantes; cum enim hæc dispositio concernat actum Personæ authoritativum, nedum comprehendit facientem verum etiam mandantem; quod autem hæc dispositio concernat actum Authoritativum patet, quia Principes aut Magistrates personaliter prohibita deferri nequeunt, sed mandant ut sua Authoritate deferantur.

U. Excusatnè hic parvitas materia?

S. Excusat: neq; in præsentī investigando parvitatem aliquam difficultatem advertet prudens Confess: quia materia levnis, constituens in hoc Canone parvitatem materiæ, facile occurret.

U. Si Ecclesia sub Excommunicationis validè præcipere potest, nè fiant ea, quæ sunt in grave damnum committenda.

etiam si incuteretur quicumque; metus ad ipsa facienda, rectè quis inferet, quòd metu gravi coactus facere prohibita in hoc septimo Canone in damnum communitalis incidat in ejus excommunicationem.

S. Sic inferunt plurimi, cum præponderet bonum publicum privato, & privatus vitam exponere debeat pro Reipublicæ conservatione, ita Sylv. Azor. Vasq. & Bannes quos citat Bonac. de punct. 4. & de pecc. Disp. 2. q. 8. punct. 2.

U. Occurrit dubium: an videlicet Princeps Christianus præstans auxilium, favorem & consilium contra alium Principem Christianum Infidelibus ad finem, ne potentior factus suum dominium invadat, ipsiq; resistere nequeat, ligetur hâc septimâ Excommunicatione?

S. Certè Sententia negans incursum hujus Censuræ tunc, non potest non dici iniqua & falsa, utpotè inimicis

Dd § Chri-

Christiani nominis utilis, & Fidelibus perniciofa; nam Princeps ille non servaret moderamine inculpatæ tutelæ, utpote qui non actu offendentem, vel offendere volentem repelleret ac invaderet verùm præveniret offendendum illum, quem solùm timet sibi nociturum, ageret proinde contra ordinem veræ defensionis quæ solùm licita est cum moderamine inculpatæ Tutelæ.

U. Ergo non licet occidere inimicum quem probabiliter quis cognoscit, quòd aliquando se velit occidere, nisi proximè paratum inveniat aut videat ad inferendam sibi necem?

S. Non licet:

U. Etiamnè deferentes mercimonis ad Infideles hâc septimâ Excommunicatione afficiuntur?

S. Lego apud *Canonist.* quòd si id faciunt tempore Belli huic Excommunicationi subjaceant, si verò id contingat pacis tempore, incurrant Censuram latam in *cap. Quòd olim: de Judæis* con-

contra portantes Mercimonia ad Infideles absq; licentia Summi Pontificis.
U. Adverto quòd portantes prohibita in hoc septimo Canone ultra Excommunicationem hic latam alias incurrant pœnas.

S. Sic lego apud Sacros Canones, imponitur namq; contrà talia deferentes in damnum Christianorum pœna perpetuæ infamiæ, item incapacitas activa ad faciendum testamentum, & inhabilitas passiva ad Successionem tam per testamentum quàm ab intestato, item privatio activa & passiva Officiorum publicorum &c.

U. Dices utiq; octavam Excommunicationem esse fulminatam adversus illos, qui impediunt, invadunt, prohibent, & perturbant nè adducantur ad Curiam Romanam ea, quæ duntaxat sunt necessaria, ad victum & decentem statum Curia Romanæ.

S. Ità dico.

U. Quid sentis circà impediētes litte-

Dd 6

te-

teras discretas ad Curiam Romanam
nè ad eam perveniant?

S. Sentio impedientes eos qui portant
litteras Cambiorum huic subjacere
Censuræ, an autem huic Censuræ sub-
jaceant etiam impedientes litteras a-
liorum negotiorum *vid. Canonist.*

U. Existimo, quòd in hoc octavo Ca-
none excommunicentur solùm illi qui
injustè impediunt advehentes neces-
saria Romanæ Curia, non autem ju-
stum titulum habentes.

S. Sic existimo & ego; & ulterius ob-
servo etiam consulentem & mandan-
tem, ut impediatur delatio victualium
ad Curiam Romanam hanc octavam
Excommunicationem incurrere.

U. Demus casum, quòd deferens ne-
cessaria ad Curiam Romanam spolie-
tur pecunijs, quas ad proprium usum
portat.

S. Dicunt aliqui probabilius esse il-
lum, qui spoliat transvehentem vic-
tualia ad Romanam Curiam proprijs
pe-

pecunijs in hanc Excommunicationem incidere, rationem dant, quia qui spoliatur pecuniâ verè invaditur, atqui invadens tales deferentes hinc expressè excõmunicatur ergo &c. Alij autem negant ex hac ratione, quia quæ ad proprium usum transvehentium pertinent non dicuntur victualia nec necessaria Romanæ Curix, & consequenter si transvehentes invadantur in suis rebus, invasores non afficientur hâc Octavâ Excommunicatione, modò non vulnerent aut occidant deferentem, unde positivè impediatur talium rerum translatio ad Romanam Curiam. Quid dicendum sit quoad defendentem eos qui impediverunt vel invaserunt portantes? vi: *Bonac. q. 9. in Bulla Coena.*

U. Assumo Excõmunicationē nonam & quæro an veniens ad Sedem Apostolicam in quocunq; negotio sive temporali sive spiritali gaudeat privilegio hujus Canonis, & eum offendens

in aliquo ex modis in Bulla narratis hanc Excommunicationem incurrat? S. Affirmat Bonac. q. 10. p. 1. & alij, imò Filliuc. Tract. 15. c. 6. q. 6. dicit & ita practicari in Sac. Penit. cum hoc tamen adverte quòd accedens Romam ob negotia tractanda cum alijs, non gaudet at privilegio hujus Noni Canonis.

U. Si quispiam interficeret illum, qui in itinere inchoato ad Sedem Apostolicam verè mutavit sententiam accedendi, essetne hâc Censurâ ligatus? S. Non esset: observo autem hanc Excommunicationem non evitari in casu quo quispiam interficeret aut mutilaret &c. illum, qui ad Sedem Apostolicam proficiscens, ex legitimo aliquo impedimento inceptum iter continuare intermisit.

U. Possset accidere quòd aliquis spoliaret accedentem ad Sedem Apostolicam jam ab alio occisum.

S. Tunc certè (ut consideranti patet) spoliatus non subjaceret huic Censuræ.

U. De-

U. Demus casum, quod aliquis habuerit animum leviter percutiendi proficiscentem ad Sedem Apostolicam vel redeuntem, interea tamen accidit contra velle mutilatio vel planè occisio, quæro an talis debeat dici Excommunicatus in hoc nono Canone?

S. Si hujusmodi accedentem vel redeuntem voluit percutere leviter ex causa injusta, quocunq; casu accidat mutilatio vel mors percussi, incidit in hanc excommunicationem, mors enim illi imputanda est, cum percutiendo ex causa injusta, dederit operam rei illicitæ; secus autem dicendum, si quis percutere voluit leviter modò licito; ut correctionis causâ, & casu, qui prævideri non potuit evenisset, quòd percussus in foveam ceciderit, vel percussio levis ex Medicorum incuria facta fuerit mortalis &c.

U. Videtur hanc Excommunicationem non incurrere illum qui venienti ad Sedem Apostolicam surriperet pecunias vel vestimenta &c. S.Ar-

S. Arbitrantur quidam *Canonist.* talem non affici hâc Censurâ, propterea quòd in Bulla prohibeatur solùm spoliatio aut furtum ut est actus violentiæ, sed alij existimant Pontificem exprimendo spoliationem in Bulla locutum fuisse largè, id est sumendo spoliationem tam pro violenta quàm non violenta; Adverto etiam hîc, quòd Papa solùm intendat in hoc Canone excommunicare injustè & iniquè detinètes & capientes; An autem quis iniquo animo capiens & detinens, cum intentione tamen statim dimittendi hanc Censuram incurrat? *vi. Canonist.*

U. Demus casum: quòd aliquo mandante solùm percuti accedentem ad Curiam, nihilominùs Mandatarius occideret vel mutilaret, quæro an hac nonâ afficeretur Excommunicatione?

S. Affirmant multi DD. dantes hanc rationem: quia quando datur opera rei illicitæ, ut supponitur in casu fuisse mandatum percussionis, imputatur man-

mandanti mutilatio vel homicidium, ut docetur in materia de irregularitate. Alij verò negant tunc incurri hanc Censuram, & concedunt casum de mandante in materia irregularitatis utiq; esse expressum, sed dicunt in pœnalibus non esse faciendam extensionem de casu in casum. Alij deniq; sustinent in tali casu mandantem probabiliter non incurrere hanc Excommunicationem, quia homicidium non intenderat, posse autem illi subiacere sub ratione injustè detinentis si vulnerata fuissent adeò gravia, ut percussus ideò detentus fuerit, nè ad Sedem Apostolicam veniret, vi: *Bonac. q. 11. punct. 2. & de Censur. in comm. Diss. 1. q. 1. punct. 6. num. 6.*

U. Etiamnè hanc Censuram incurrit occidens Hæreticum Judæum vel alium Infidelem venientem Romam ad tractanda negotia in Curia?

S. Ecclesia pia Mater omnes ad se recurrentes libenter amplectitur, & finum

num suum nulli claudit, idcirco præsumi debet ipsam largiri hoc securitatis privilegium etiam Hæreticis Judæis, & cæteris Infidelibus, dum ad suam Curiam tractandorum negotiorum causâ recurrunt, & certè si veniant, ut Christiani & Catholici fiant, nemo concipere poterit ipsos non gaudere hoc privilegio sicut enim Infidelis cupiens fieri Christianus, si fugiendo ad Ecclesiam se receperit gaudet ejus immunitate, ità quoq; veniens ad Curiam ut Christianus fiat, gaudebit privilegio hujus Canonis.

V. Judico quòd ad hoc ut quis ligetur Excommunicatione decimâ, debeat intervenire percussio gravis quæ sit quædam vulneratio.

S. Ità est.

U. Sed supponamus quòd Unus Romipeta alium Romipetam aliquo ex modis in hoc decimo Canone expressis offendat, verumnè erit ipsum latam incurere Censuram?

S. Sic

S. Sic sentio.

U. Scies utiq; illud quod in favorem alicujus est introductum, non debere in ipsius damnum retorqueri.

S. Scio : simulq; observo quòd is qui Privilegio abutitur debeat privilegio privari; & nunquid Clericus Clericum percutiens excommunicatur, igitur & Romipeta alium vulnerans &c. dicendus erit Excommunicatus in hoc Canone.

U. Quid sentis circa Clericos vel Religiosos euntes Romam devotionis causa absq; suorum Superiorum licentia & dimissorijs ?

S. Sentio quòd etiam hujusmodi Personas offendentes aliquo ex modis supra specificatis incidant in hanc Excommunicationem, dummodò verum sit, quòd devotionis causâ, & ad veneranda loca Sacra ac limina Apostolorum &c. proficiscantur ; non enim est in jure expressum, quòd hoc Privilegio non gaudeant Clerici & Religio-

fi

si Romam devotionis causā proficiscentes, sinē dimissorijs suorum Superiorum.

U. Nonnè Clericis etiam non Beneficiatis interdicitur peregrinatio absq̃ dimissorijs sui Ordinarij? à fortiori Religiosis sinē suorum Superiorum licentia, (nisi fortè susciperent iter versus Romam ad prosequendam appellacionem, vel ad vitandam gravem & injustam Vexationem Superiorum, quo casu licet adire Papam etiam invito Prælatò) quomodo ergo poterit sustineri ipsos accedere Romam devotionis causâ, cum potius, utpote inobedientes agant contra devotionem & velut fugitivi privilegio Peregrinorum gaudere non debeant?

S. Respondent aliqui, quòd cum actu inobedientiæ adhuc salvetur iste finis *devotionis causâ*, & licèt forte inobedientia resultaret ad justam denegationem licentiæ, adhuc tamen proficiscens lucrari possit effectum Peregrinationis.

tionis, dicunt enim necessarium non esse (licet optimè foret) ut Peregrinus per totam suæ peregrinationis vitam sit in gratia, sed sufficere quòd in Urbe priusquam loca Sancta visitet sit contritus & confessus, & à suo peccato inobedientiæ sive Apostasiæ absolutus.

U. Contigit quod quidam Romipeta Diabolicæ tentationi succumbens cognoverit carnaliter Sororem alterius Romipetæ unà peregrinantem, à quo in scelere deprehensus, occisus est, quæro an Occisor hanc decimam Excommunicationem incurrerit?

S. Lego apud Bonac. quòd si turpiter inventus cum alijs (exceptâ Uxore) occidatur, Occisor hanc Excommunicationem incurrat, ast præsumendum non est Papam in hoc Canone velle protegere iniquos, sub ovina pelle lupinos & venereos animos celantes, quare placet Sententiâ negantium hanc Excommunicatione ligari occi-

cidentem vel mutilantem aut vulnerantem ex primo motu & magno passionis impetu sive quis turpiter iniuriatur cum Uxore sive Filia sive Sorore &c. prout etiam percutiens aut vulnerans Clericum turpiter inventum cum præfatis Excommunicationem non incurrit. ex cap. Si vero. de Sent. Excommunicat.

QUÆSTIO XXXVII.

De alijs Excommunicationibus Bullæ Cœnæ.

Vicar. **E**Xprime sequentes quinque Excommunicationes seu Casus Bullæ Cœnæ.

S. Excommunicantur I^o. Interficietes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, hostiliter persequentes Cardinales, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, Legatos, vel Sedis Apostolica Nuntios, sicut & à suis Territorijs, Diœcesibus, seu Dominio ejicientes dictos Prælatos, comprehendentes